



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1453/19/I

### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.do P. Lucio Maria Zappatore, O. Carm., Vice-Priore Provinciali Carmelitanae Provinciae in Italia, Em.mo Cardinali Vicario Generali in Urbe enixe favente, in iubilaeo Beati Angeli Paoli, O. Carm., "Pater Pauperum" nuncupati, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a Patribus et christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XVIII Ianuarii MMXX usque ad diem XX Ianuarii MMXXI lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si SS. Silvestri et Martini in Montibus Basilicam de Urbe; paroecialem Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae ecclesiam de Argiliano, Massensis-Apuanae Dioeceseos vel quodlibet in Italia O. Carm. spectante Templum ubi specialis erga Beatum Angelum devotio viget, in forma peregrinationis inviserint et iubilariis ritibus, peregrinationibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris nuper porrectis, devote interfuerint vel saltem coram Beati exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Sanctae Deiparae Virginis et Beati Angeli Paoli.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatam.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Patres O. Carm. in iubilariis templis, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XVI mensis Ianuarii, anno Domini MMXX.

*Maurus Card. Piacenza*  
MAURUS Card. PIACENZA  
Paenitentiarius Maior

*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens